5 . . 2 C. 21.

DE

FATO DECLINANDO,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DISPUTATIONEM SOLENNEM,

In

ALMA VIADRINA

DIRIGENTE

RECTORE MAGNIFICO,

VIRO CELEBERRIMO

DN. GODOFREDO von Jena

JCto, PROFESS. PANDECT. ORD., ac h. t. NOBILISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ DECANO SPECTABILI,

IN AUDITORIO JCTORUM,

CONSENSU AMPLISSIMI ORDINIS

PRO LICENTIA

IN UTROQUE JURE IMPETRANDA;

In publicum exponit

I. SEPTEMB. Horis Ante & Pomeridianis

JOHANN FRIEDRICH RHETIUS,

Brandenburgo-March.

38

Francofurti cis Viadrum, 1657.

SERENISSIME AC POTENTISSIME PRINCEPS ET DOMINE,

DN. FRIDERICE GVILIELME,

MARCHIO BRANDEBURGENSIS, S. ROM. IMPERII ARCHI-CAMERARIE, ET ELECTOR, MAGDEBURGI, BORUSSIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM, NEC NON IN SILESIA, CROSNÆ ET CARNOVIÆ DUX, BURGGRAVIE NORINBURGENSIS, PRINCEPS HALBERSTADENSIS ET MINDENSIS, COMES MARCÆ ET RAVENSBURGI, DOMINE IN RAVENSTEIN.

DOMINE CLEMENTISSIME,

MAjeſtate Tua dignum Principem cur Te compellem denuo, ratio reddenda eſt, ne crimen incurram; Biennium eſt, quo ex Viadrina hac ad pedes Tuos, Sereniſſime Princeps, bigam Diſputationum de

 con-

conceſſis in jure Romano Rebus ſic ſtantibus, depoſui, rebar quippe cum ſtudiis meis agi optime, ſi in Patria Academia me ita componerem, ut Patriæ Principi me commendare conarer; Ex aliis jam Academiis, nam annum ante peſtifera lues hic ſtudiorum curſum rumpebat, redux factus, præſtiti Laboris teſtimonium à Juridico Ordine petere, quo Academicis ſtudiis colophonem imponerem, animus eſt; Sed cum rebus meis actum eſſe bene confido, ſi me Patriæ exhibere valeam digne; Ea propter Diſputationem præſentem, quam pro gradu in publicum exponere ſolenne fuit, ad pedes tuos, ELECTOR *Potentiſſime, cum dignam manu, qua ſceptra torques, non æſtimem, humillime iterum deponens, ut iſti gratia affulgeas, me ſubditum ſervitiis tuis, ſi dignus judicatus fuero, tradas, devotè obſecro; vigeas inter arma quo degis Triumphator felix, ac tot Regiones tuas cum Sereniſſima Conjuge ac Principibus tenellis in longum bees, diu ſuperſtes Seculi Heros!*

ILLUSTRISS. SERENIT. VESTRÆ

Francofurti ad Viadrum
Calend. Sept. 1657.

Devotiſſ. ac Humillimus

JOH. FRID. RHETIUS.

DE FATO DECLINANDO,

CAPUT I.

Cur temporum Fata introducta & Declinatio eorundem quid ſit.

1. Quæ cauſa Fatorum nulli juri contrarior.
2. Quæ juris permiſſu fiunt ſalva conſcientia penetrantur.
3. Methodi ratio.
4. Fati definitio nominalis.
5. Fatum ejusdemque Declinatio quid.

I.

DE Fato Declinando expoſiturus ut cauſas Fatorum recenſeam initio, ipſa materia monet: populus omnis cum civitates conderet principio, & Majeſtatem in proprio veneraretur Magiſtratu, vel unum eligebat injuriarum vindicem, vel communi ſuffragio ad conceptam judicii formam jura invicem dicebat incorrupta; donec & Facultates & Hominum malitia in nimium caperent incrementa; hinc rerum principes, ut vigilantibus tacitè adſiſterent jura, arcana condiderunt ratione, quo per tempora conſtituta facultatum negligentes culpa ſua cauſa caderent & mulctarentur; Magiſtratus enim cujusque intereſt civium certamina perituræ civitatis exordia componere celerius, ne lites immortales fiant & Vitæ hominum excedant modum. *L. 13. c. de jud.* Eam in rem uti ordinem judiciis fecerunt jura, ita temporum fata ut cauſas perimant Romani conſtituerunt *tot. tit. Quomodo & qu. judex. L. 3. c. de præſcript. 30. Ann.* ut nec Natur. nec Gent. contrarientur juri, nam temporum Fata jura dicta negaſſe deprehendetur nullibi, nec, quicquid in aliquo expreſſe non eſt, contrarium habetur ſtatim, conſequentia eſt; imo ipſa

Juriſprudentia Romana Theologiæ contradicit neutiquam, ſed potius accerſita inde ita ſuis temperarunt moribus Romani, ut nuſpiam appareant mutuata, autumantes per veterum veſtigia incedentes nusquam aberraturos à verò, ſi, quid majores repererint egregiè, pii excolant nepotes.

II.

Hinc ſi Natali actionis Fatum imminens non declinaret incautus, & eò adverſario tribueret jus, vel humani generis patrona præſcriptio à negligente in alium transferret poſſesſionem, conſcientiæ forum non pronunciaret iniqvum, ſiquidem & conſcientiæ patrona præſcriptio eſt. *arg. L. 11. ff. de Acqu. poſſ. J. Savaro clarom. ad ſidon. Apoll. lib. 8. Epiſt. 6.* Ac in conſcientia, Legibus civilibus munitum, ubiq; tutum, (contrarium quamvis annuat *Bachovius ad Treutlerum volum. 2. Diſput. 22. theſ. 6. lit. C.*) putarem, dum conſcientiam propter Magiſtratui obedire jubemur. *Ad Rom. 13. v. 5.* Temporum Fata igitur Humano generi de profunda quiete proſpexerunt *Novell. Theodoſ. & valent. 8.* præſcribentem licet & Fato acquirentem odio habeamus invidi, ſumus enim plerumq; mortales affectibus dediti, ut niſi cum vita gratiam ponamus & odium.

III.

Interim Fato & præſcriptioni initium omne ex ſilentio eſt, quod niſi in herba reprimas & declines, emicat & dejicit de cauſa. De Fato igitur agendum ante erit, quam quomodo declinandum ſit, exponam, quod facturus, Legum Diſputationis memor, diffuſam materiam paucis tantum præcipua complectentibus pagellis includam; veniam à Te *Benevole Lector*, ſi non cuncta elimatè explicata fuerint, merebor, judicioq; ſuccincto ſublevabis omnia, Obſcuritatem involvit ipſa amata brevitas, me in tuis ſcriptis ſimile & feciſſe & facturum confides.

IV.

Ne ſecurus vocum rerum jacturam faciam, ut vocabula evolvam ipſa me Methodus jubet. Sic Fatum à fando quaſi ultimum juris effatum dixerunt *Hilliger D. E. lib. 7. c. 9. lit. D.* Quo ſi tempora intentandæ actionis neglectui habeant deſides, lis moriatur & pereat *L. 18. §. 4. ff. de dolo.* nam uti hominum vitæ pariter & actionibus finem, quoniam plerique ſtoicæ diſciplinæ fuerunt ſectatores, poſuerunt JCti, ut, quod Fato contingat, cuivis evenire poſſe exiſtiment *L. 11. §. 4. & 5. ff. de minoribus.* quemadmodum detrimenta Fatalium *Lib. 3. de inſtruct. legat.*

vel

vel Fatale damnum *L. 2. c. de condict. Furtiva.* nuncuparunt. Vox ipſa verò Fati accipitur variè, alia Theologis, alia Mathematicis acceptio eſt, nec jus Juſtinianeum Fati nomen uno modo uſurpat, ſed pro caſu fortuito ſæpius *L. 16. princ. de R. V.* in præſenti ſocordibus & negligentibus officiet tantum, ut intra conſtituta tempora, niſi bona curæ habeant, uſurpandi amplius omnem conſumant veniam. Ita Fatum alio nomine diſceptationis dicitur *L. 41. c. Theodoſ. de Appellat.* vel exceptio temporis *L. penult. §. ult. C. de præſcript. 30 Annor.* vel denique Fatalis terminus ſalutatur. *L. 3. c. de tempor. Appellat.* Declinatio autem Fati unde dicatur non apponam, fruſtra ſic feciſſe ne æſtimer vereor.

V.

Inde ut realem definitionem tali nexu efferam juvabit: Fatum jus eſt, quo negligentes rerum Domini intra certa tempora pro fortunis niti prohibentur, ne dominia in incerto ſint, à Lege vel homine ſtatutum. Declinàtio Fati, jus eſt quo cauti rerum Domini juſto tempore Fatum imminens declinant, ne durius quid ſtatutum ſit, à Lege vel homine decretum. Utriq; definitioni genus jus, quod propius non reperirem, appoſui, differentiam ſpecificam à cauſis deſumpſi. Bono verò & æquo temporum Fata Reipublicæ eſſe, in tantum æſtimabit quis, in quantum ipſum bonum & æqvum intelliguntur, nam æqua videntur multa, quæ publico ſtatui conveniunt neutiquam; Quis præſcriptionem æquam diceret, niſi publicæ tranqvillitati bona reperietur? Hoc JCtum movit, quod jus boni & æqui definiverit artem, quoniam utrumque benè conſtitutæ Reipublicæ anima pariter eſt & robur.

CAPUT II.

Qvomodo declinentur temporum Fata.

1. Quotuplex Fatum ſit.
2. Interpellando declinatur & ad omnem præſcriptionem requiritur poſſeſſio.
3. Fatum nulli niſi natæ actioni currit.
4. De juſtinianeo jure b. f. in longiſſimi temporis præſcriptione non deſideratur.

5. Fa-

5. Fatum currens ruptione evitatur, ſed nec noviſſ. jure omnis præſcriptio ſola citatione interrumpitur vel teſtato facta denunciatione.

6. Quamprimum quis monitus à Domino, b.f. uti deſinit, b.f. poſſeſſor omnes fructus conſumptos lucratur.

7. An impenſæ neceſſariæ à b.f. poſſeſſore actione aliqua peti poſſint.

8. Per reſtitutionem quidem evitatur Fatum ſed non ex capite ignorantiæ.

I.

QVomodo Fatum hoc declinetur à cautis rerum Dominis ut dilucidius agam, ad duo veluti ſumma capita tractationem vocabo, primum quomodo temporum Fata circa res ſtatuta evitentur, alterum, qua ratione Fatalia circa proceſſum purgentur, abſolvet. Et qvidem Fatum omne vel conventionale vel legitimum eſt, utrumque vel judiciale, vel extrajudiciale. Partes enim tam in judicio compromittere & cauſas accelerare valent, quam extra judicium paciſcendo contractibus ſtatuere legem. *L. 23. de Reg. Jur. Gail. lib. 1. obſ. 140. Bachov. ad Treutl. volum. 2. Diſput. 33. th. 8. lit. A.* Legitima judicialia non niſi in judicio originem trahunt & efficaciam, extra judicialia extra forum omni ſua potiuntur forma.

II

Hæc poſteriora deſides ſtatuto elapſo tempore Dominio exuunt, niſi ſupprimantur in herba, quod fiet commodè ſi jus quo ſe præſcribens tuetur Dominus examinet accuratius, ſic de Rei præſcriptione ſi agatur nemo niſi poſſederit, licet per longisſimum Fata prætendat, tutus habetur *l. 8. c. de præſcript. 30. Annor.* nec ullibi, niſi mens fallit, Juſtinianeum jus præſcriptionis ſine poſſesſione fecit mentionem *l. 25. ff. de uſurp. & uſuc.* aſt à jure vel actione liberationem præſcribens, non eget poſſesſione, cum non utentem ſola negligentia de jure detrudat. Quod ſi igitur precario per longisſimum in fundo morareris, præſcriptionis titulo te haud tueberis. *l. 6. §. 2. ff. de precario l. 2. c. de præſcript. 30. Annor.* Fruſtra quippe posſidet is, cui proprietatis jura denegantur; Nec vaſallus inveſtitus Fato acquiſiviſſe Dominium ullo tempore autumabit *1. F. 25.* naturaliter cum posſideat tantum; Naturalis poſſesſio enim detentio rei nuda affectione tenendi eſt, civilis affectione Domini *l. 1. §.*

13. h

3. l. 3. §. 1. de Acquir. poſſeſſ. Exc. *D. Suev. velit. juſtin. 7. th. 8. lit. D.* Emphyteuta à canone præſtando hac ratione nunquam erit immunis, civilis ſiquidem poſſeſſio ei denegatur penitus *Menoch. de recup. poſſeſſ. remed. 1. n. CX.* Etſi in rem actionem habeat; vindicatio tamen omnis civilem poſſeſſionem nequaquam deſiderat. *Ungep. Ex. V.*

III.

Proinde nulli actioni, niſi quæ competere cœpit, manum inſerit Fatum *Balbus de præſcript. p. 4. qu. 13. n. 2.* hoc modo ſocius ſocium à præſcriptionis jure dum fœdus durat elidet facilè, ſicuti ſi ſub conditione vel incerta die fecerunt ſtipulationem nullum metuitur Fatum, dùm conditionis nondum ſperatur exitus *Balb. d. l. n. 7.* multo minus ſi in non præſcriptionibus fato ſe tueri quiſpiam deſideret, juris aſſiſtentia gaudebit. *Weſemb. in π. de uſucap. n. 10.* Quas non præſcriptibiles materias haud explicabo fuſius, cum vulgo conſtent, de rebus enim cognitioni vulgi expoſitis tractatio inanis eſt & induſtriæ expers.

IV.

Cæterum mala fide poſſidenti nemo præſcriptionis jura concedet, ſed Fato acquiſitionem denegabit, is demum, qui apprehenſæ poſſeſſionis tempore juſte putavit ſe poſſidere, b. f. poſſeſſor eſt. *l 11 ff. pro empt. l. 4. c. de præſcript. longi tempor.* Error falſæ cauſæ uſucapionem nullam parit *ſ. error. inſtit. de uſuc l. 8. §. 1. ibi niſi ipſe injuſtus poſſeſſ. c. de trig. annor. præſcript. D. Franck. exc. 5. n. 11.* Attamen b. fidem in longisſimi temporis Fatis non deſiderari è Romano jure verius æſtimo; per tot etenim annorum ſpacia facultatum negligens cur ceſſiſſe bonis non præſumeretur, ac poſt 30. Annos b f. & titulus præſumitur undique *c. ult. x. de præſcript. Gail. lib. 28. obſerv. 18.* quoad forum verò & Canones ut adſit neceſſe eſt *l. 10. c. de acqu. poſſ.* cum ex fide velint æſtimare omnia.

V

Præ cæteris res ſuas curæ habens fatum currens interpellando evitabit *l. 2. c. de Annal. except Novell 119. c. 7.* hæc interruptio naturalis pariter eſt & civilis, utraque fato utentem ab acquiſitione elimare ſolet: Naturalem ejectionem de poſſeſſione quamcunq; dico, civilem actu quodam juris & transformata uſucapione citatione quoque vel extrajudiciali denunciatione teſtato facta fieri autumo. Verum num omni

præſcriptioni poſt communia uſucapionis & præſcriptionis jura extrinſeca, (nam ſubeſt adhuc uſucapioni & præſcriptioni differentia) *Riemer. decad. 5 qu. 3.* citatione vel denunciatione vita aufferatur, ob diſſentientes hæreo; interim dictam *legem 2. c. de Annali præſcr.* præter caſus in l. recenſitos ad nullos pertinere verius arbitror, ita enim veluti Imperator dicit: interruptionem præſcriptionis litis conteſtatione fieri dictum eſt, ſed ſi quando Domini vel abſentia vel ætate præſcribentium quo minus litem conteſtentur impediantur, ſola citatio vel teſtato facta denunciatio ad interpellandum ſufficiet. Quod Dominus Hahnius *ad Weſenb. de uſucap. n 15* contrarium ſtatuat, nihil oberit, movetur forte celeberrimus vir per verba final. d. legis: & hæc ad omnem præſcriptionem temporalem ſufficere &c. aſt reſtrinxit hæc LLator in præcedentibus, ſi ſic à vulgari interruptionis modo impedirentur Domini, nec repetere veteres L. L in conſtitutione opus fuit. Ideo Fata triennalia & præſcriptionis favorabilis ſola ſententia definitiva ſiſtuntur *l. 2. §. 21. proempt. Jaſon in l. ult. ff de eo per quem factum &c. n* 4. Longi temporis litis conteſtatione evitantur. *Card. Tuſch tom. 6 pract. concluſ lit p cond. 586 n 6 & ſeq.* Odioſæ verò 30 vel 40. annor. præſcriptiones ſola citatione vel extrajudiciali denunciatione efficaciam perdunt, *Matth. Côl. de proceſs. execut: p. 1. c. 3. n. 98.* Temporum enim Fata licet à diverſis continuari poſſint, interrupta tamen eſſe debent minimè. §. *Diutina poſſ. inſtit. de uſucap.*

VI.

Ita monitus à ſuperveniente Domino, bona fide, quam primum de jure ſuo dubitare incipit, quo temporum Fata adimpleat, ſe tueri nequit, *L. 25. §. 7. de heredit. petit.* quoniam cognoſcere cœpit ad ſe haud pertinere poſſesſionem; Interim omnes & induſtriales, quos, niſi accesſiſſet induſtria humana, ægrè produxiſſet Natura, *L. 45. de uſur.* & Naturales, quos natura, licet ut melius proveniant induſtria accedat, ſine opera humana producit, *Cynus in l. 22. c. de R. V.* Sive locupletior inde, ſive non factus, in ſingulari judicio conſumendo, lucratur *L. 28. ff. de uſur. l. 48. de A. R. D. l. 22. c. de R. V.* in univerſalibus verò, judiciis in quantum locupletior factus Domino ſupervenienti reſtituit, quoniam etiam ſic ex quaſi contractu & perſonali actione tenetur, quod in ſimplici Rei vindicatione fieri nequit. *Hahn. ad Weſenb. de her ed. petit. n. 10. v. quat. ſcil. locuplet.* Attamen in l. 45. de uſur. dicitur non fiunt cujuslibet b. f. poſſeſſoris;

ris; hoc non omni b. f. poſſeſſori fructus naturales denegat, ſed cuidam ſaltem, modus nimirum loquendi hic ICtis non inuſitatus eſt, ſic *l. final. v. nec cujuslib. militiæ c. de actione omnium jud. uſurpatur.* Nec nocumento erit quod Bachov. *ad* §. *inſtit. de R. V. n. 6.* Dicit; putat vir Doctisſimus dum Imperator enunciat non fieri b. f. poſſeſſ. quoniam ex facto ejus naſcantur, legem niſi pro ſua ſententia citra calumniam explicare non poſſe, ſed ſi hoc cavillare eſt, nemo legem explicabit amplius, verba captare non oportet, ſed quod in ipſis rerum obtineat argumentis proſpicere conſultæ juris Philoſophiæ eſt.

VII.

Percepiſſe verò oportet antea quam lucretur *d. l. 48. d. A. R. D.* In cunctis quidem Domini loco habetur, donec verus Dominus apparuerit, ſed extantes fructus reſtituere tenetur *L. 22. c. de R. V.* Quia Domini adventu b. f. posſidere deſinit. Fructuarius quoque percipiendo fructus ſuos facit, verum ipſe non alius ſuo nomine percepiſſe & collegiſſe debuit, *Bachov. ad* §. *is vero inſtit. de R. D.* Unde ſi fructibus maturis decederet nec collegiſſet ipſe, licet multos ſumptus in fructuarium agrum feciſſet ad heredes nihil tranſmitteret *L. 13. quibus modis uſusfr. amittatur.* Quod etſi durum videatur, lex tamen dicit, *L. 12. qui & à quibus manum.* Judicem enim & leges ſcriptas ſequi oportet quicquid deciderunt, leges ſcriptæ ſcilicet ſua æquitate non deſtituuntur *L. 13. §. penult. ff. de jurej.* Qua ratione verum manet, in omnibus æquitatis, quam ſtricti juris potiorem rationem debere eſſe. *L. 8 c. judic.* b. f. contra poſſeſſor ſi nudè ſeparaverit transmittit, *L. 28. de R. V.* Dum quippe Domini loco præſumitur, pingvi jure utitur ubiq;, adeò ut pro impenſis reſtituendis extantes fructus retinere jus faſque ipſi ſit *L. 1. ff. de doli except. l. 14. de condict. indebiti.* At ſi per errorem Domino omnia reſtituerit exceptione omiſſa condictione incerti petere poterit impenſas, quoniam nulla L. hanc actionem denegavit *ac l. 33. ff. de condict. indeb.* quidem nullas impenſas niſi retentione fieri poſſe aſſerit, interim hoc de condictione certi & ubi factum intercesſit erit, *vid. Domin. Franck. exc. 4. Qu. 3.* Schifferdeck. admittit quidem aliquando per actionem impenſarum reſtitutionem ſed certo modo *Schiefferd. d. vol. 2. diſp. forenſ. ad Ant. Fabr. lib. 2. tract. 11. qu. 4.* Verum ſive hoc ſive alio modo actio pro impenſis repetendis detur perinde eſt, ſufficiat nobis concedi aliquam, mo-

dus etenim nec in jure Rei eſſentiam variat. *in l. 40. §. 1. de cond. indebiti.* De malæ f. poſſ. adjicerem quid, niſi dilaberer á propoſito, maturandum erit interea.

VIII.

Reſtitutionis denique beneficium fatum jam completum eliminat, veluti in caſu aquæ ducendæ à Paulo JCto, *l. 35. ff. de S. R. P* edocetur, ſi non negligentia vel culpa fatum ſumſerit vires; Unde minor contra longisſimi temporis præſcriptionem, nam ea ipſi tantum currit, reſtituitur, *Oddus p. 2. qu. 90. articul. 1. n. 6.* Ex Solo ignorantiæ capite prætorem reſtitutionem dediſſe non deprehendo quod Fatum concernit, ſiquidem certis in cauſis ex errore reſtituit tantum *Bocer. Claß ult. diſp. 19.* Haud movit me generalis cauſarum reſtitutionis clauſula, ſi alia juſta cauſa videbitur, *L. 1. §. final. ff. ex quibus cauſis major.* Cum hac ratione fati præſidium tolleretur, Fato ſcilicet robur ex ſilentio eſt, ſciens verò nec ſileret nec temporum fatum pateretur labi. Contranititur *Berlich. p. 2. concluſ. 10. per tot.* Autumat vir de jurisprudentia benè meritus & per ſe aliàs accuratus abundè, nullam legem reſtitutionem denegaſſe, aſt ſi *lex 3. c. de præſcript. 30 Ann.* introſpiciatur penitius verb. etiamſi ſe ignorantia excuſare tentaverit, Berlichius legi contradicet expreſsè, & ſi quisque rerum ſuarum diligens cuſtos ſit & moderator ignorantem adeò negligentem eſſe puto, quam negligentia ipſa patet.

CAPUT III.

Qua ratione ſingularum actionum Fata pereant.

1. *Injuriarum actionis Fatum annale litis conteſtatione rumpitur vel citatione.*
2. *Vel ſi imperatori aut cameræ libellus porrigatur licet non reſcribatur. Ac differunt proceſſus ex l. diffam. & l. ſi contendat.*
3. *In petenda inveſtitura annale Fatum non ſemper currit.*
4. *Exceptio non numeratæ pecun. poſt biennium non opponitur, niſi rumpatur.*
5. *Decennale Fatum quomodo evitetur.*

6. Qua-

6. *Quadriennale Fatum quomodo pereat.*
7. *Quinquennale Fatum quibus rebus obſit & qua ratione impediatur.*
8. *Decennalis Fati declinatio, & merum imp. nec hodie mandatur regul.*
9. *Vicennalis Fati ruptio.*
10. *Tricennali Fato communis rupturæ obeſt.*
11. *Quæ cauſa ab Imperatore intelligatur in l.7.ff. de pactis & num cauſa iſta inſit omnibus contractibus.*
12. *Evictio, ſi aliunde tutus eſſe poteſt emtor, non præſtatur.*
13. *Singularis declinandi tricennalis modus.*
14. *Immemoriale Fatum quomodo ſiſtatur.*

I.

Luſtratis ingenere Fati declinandi modis, quo modo ſingula temporum fata per certa annorum curricula ſtatuta rumpantur, examinare eſt. Injuria Læſo Natura ipſa de vindicta proſpexit, nam juſti amorem inter ſe coëuntibus ſanxit ne læderent invicem, aut ſi qui læderent, non eſſet impunè, interim cum necesſitas legem faceret, liberè intentandæ huic actioni terminos poſuit & fatum, ut ſi intra annum non intentetur, omnem ſuam efficaciam ponat & intereat *L. 17. ſ. 6. ff. & l. 5. c. de injur.* Ne verò quo minus intra annum vigilans jure cadat, ut litis conteſtatione, *L. 87. & l. 159. de Reg. j.* Vel nuda citatione hodie *Pruckman. volum. 1. conſil. 22. n. 26.* transmittatur ad heredes, jura effecerunt.

II.

Aut ſi citatione Fatum purgari non detur, quando Imperatori vel cameræ libellum exhibeat injuriatus eodem modo perpetua reddatur actio, & vitam ſervet, Principes ſanxere *L. 1. c. quand. libell. princip. dat.* Ad quod reſcripto opus eſſe non autumo, ſi videlicet novi quid in d. lege debeat eſſe ſtatutum, cum aliàs monitorium quodvis inferioris litis conteſtationem operetur & perpetuet *Carpz. lib. 2. tit. 3. R. 50. n. 4.* Nec adeò ſpeciale foret ut coram ſolo Imperatore vel Camera hæc exhibitio libelli tantum importet, coram cæteris Imperii principibus minimè *Umnius diſp. ad proceſſ 5. th. 3. n. 14. Magnif. D. Fridericus* von Jena *in notis ad Schotanum ad hunc tit.* Quando verò *In l. 2. c. d. l.* dicitur, ſi reſcribat: non ad eſſe neceſſariò eſt, ſed ad melius, uti *l. 34. ff. de l. l.* dicit de conſvetudine vid. an contradictorio judicio obtinuerit. Quod

Fatum verbalibus injuriis currere dubium non eſt *D. Carpz. p. 4. conſtit. 46. def. 3.* An reales verò idem Fatum experiantur in incerto eſt, nam de Romano jure nomine Fati reſpectu enunciantur *L. 5. c. de inj.* Interea ex L. Cornelia actiones perpetuas eſſe vero conſentaneum reor, quia ex Legibus deſcendentes actiones cenſentur perpetuæ. *L. 3. & 4. c. de præſcript. 30. Ann.* Quemadmodum verbales injuriæ ſi ex L. diffamari agatur longiori temporis ſpacio potiuntur. *Heig. p. 2. qu. 31. n. 20. ſub fin. Franciſcus Sarmientus lib. 1. ſelect. interpr. cap. 2.* Cui L. Diffamari l. ſi contendat 28. de Fidejuſs. conjungi ſolet quoniam ad eundem effectum tendunt, quoad modum procedendi tamen differunt. Ex L. nempe diffamari c. de ingen. Manum. proceſſus non decernuntur niſi cauſa probata fuerit ſummariter; ex L. 28. ſi contendat decernuntur proceſſus omnibus, qui exceptiones ſibi competere aſſerunt, Et ex L. Diffamari ſimpliciter ſilentii impoſitioni locus eſt, at in l. ſi contendat judex ſuper exceptione procedens ſi citatus non compareat demum ſilentium imponit. *Hartm. Piſtoris p. 4. qu. 13. n. 2.*

III.

Idem annale Fatum ut petitioni inveſtituræ una cum menſe ſtatueretur, quo dominia rerum non in incerto vagentur, neceſsitas fecit *cap. Sancimus princ. 1. F. 22.* Verum ne rigoroſius petendi tempus coarctatum videatur, LL. ipſæ, ſi inevitabilis caſus petendi facultatem impediat, Fatum currere prohibuerunt, vel in Majoribus Feudis, modo ea qua par eſt ſubmisſione excuſationem offerant vaſalli, Fati rigorem ipſi mitigant Domini. *Reinking. de R. S. lib. 1. claſſ. 4. c 16 n. 56.* Qua ratione ſi Imperatores trans Alpes proficiſci contingeret, & propter Feudum vacans vaſallus juſto tempore inveſtituram petere deſideraret, Carolus V. in comitiis Wormatienſibus Anno 1521. ut adhuc unus annus petendæ inveſtituræ; nam collatio Feudorum Regalium ad Imperii vicarios non pertinet, concederetur, ſanxit, quo nondum reduce facto Cæſare, Imperator cui velit collationem Feudi mandet. Hoc hodie imprimis in interregno obſervatu dignisſimum erit. *A.B. cap. V.* Nec aliàs cui Fatum annale præſtitutum elapſo anno expirat ſimpliciter; commisſioni Fatum annale non obeſt, ſi intra annum nudè auſpicium fuerit injectum. *Ruland. de commiſſ. p. 1. lib. 2. c. 23. & p. 2. lib. 1. c. 15.* Haud diſſimile prætorio jure erat: ibi Filio ſuo præterito annale fatum hunc in modum currebat:

Prætor

Prætor uti haud novum jus, ita nec heredem faciebat, ſed ut ſua juris ſubtilitas ſervetur, bonorum poſſeſſorem dabat & nude ſollennia introſpiciebat, quibus ſalvis, heredi ſcripto ſecundum teſtamenti tabulas bonorum poſſeſſionem concedebat; niſi filius intra annale ſpacium contratabulando rumperet Fatum, rata ſecundum tabulas manebat poſſeſſio, ac filius hereditate excludebatur.

IV.

Litis conteſtatione pleraq; fata declinari, ſupra dictum eſt *l. 87. de Reg. j.* Attamen de dolo actionem, ſi biennium intra non finita fuerit, non perpetuam reddit, ſiquidem biennii lapſu actio iſta perire dicitur penitus *l. ult. c. de dolo.* Ob cauſam, quod odioſa cuivis reputetur nimium *Salic. in l. fin. c. de præſcript. 30. Ann.*| *Hahn. ad Weſ. de dolo n. 8.* Aſt ne penitus biennii lapſu læſus jure defraudari putetur, reſtitutionis beneficium præſto habet. *tot. tit. ff. de dolo.* Haud enim inconſuetum fuit Romanis moribus negligentibus reis quoad præſentem actionem excipiendi remedia denegare, ac in extraordinarium ſpem reponere patrocinium; Conſueverant nimirum debitores maligni, quo ſolutionem differrent, debiti etiam indubitati probationem à creditoribus exigere rigorosè, cui perfidiæ ut mederentur principes; ſi quis in ſcriptura vel coram teſtibus debitum confeſſus eſſet, niſi intra biennium non numeratam pecuniam eſſe exciperet, excipiendi emolumento cadens ſolvere cogebatur *l. 8. 10. & 14. c. de non num. pecun.* Cum præſumptio ſit pecuniam ſolutam fuiſſe; nec novum juri eſt præſumptioni adhibere fidem, ita ſi quis 3. vel. 4. apochas cohærentium annorum producere posſit & reliquis annis ſolviſſe, niſi aliter evidentisſimè demonſtrari posſit, præſumitur. *l. 3. c. de Apochis.* Attamen debitorem biennio elapſo probationem in ſe ſuſcepturum audiendum eſſe ſtatuerem, æquitas hæc ſuggerit, etſi jure deſtituamur *l. 2. §. 5. ff. de Aqua & aqu. pluv.* Negativæ quidem regulariter probatio non eſt, ſed ſufficiet nobis aliquo dari modo.

V.

Rebus tanto odio non expoſitis longiora fata concedebant & miſeris Dominis communia declinandi relinquebant remedia, ſicuti mobilibus, nulla neque rerum neq; perſonarum habita differentia, triennium Fati loco præſtituerunt *auth. quas act. de S S. Eccl. c. pen. c. 16. qu. 3.* Ut rem pariter & actionem fatum perimat. Sed Fatum declinaturus Rei

vin-

vindicatione agens rem recipit, fructus autem à b. f. poſſeſſore captos hac actione una repetere nequit, ſingulatim enim quæ ante judicium contigerunt injungenda ſunt *l. 15. ſ. 8. ff. de ædil. edicto. l. 4. § 8. ff. de damno inf. Theſſaurus deciſ. pedemont.* 14 *n.* 2. Adeoque Fata hæc communibus declinandi modis & reſtitutione evitantur.

VI.

Verum ipſi reſtitutioni quadriennium fatale eſt, æſtimarunt quippe prudentes, temporis affatim eſſe, quo quis Fatum ſiſtere valeret *l ult. c. d. temp. in integr. reſtit.* Quiſque ut Reipubl. civis beneficii & juris tenax ſit, nam jura vigilantibus tantum ſubvenire voluerunt *l. 24. ff. quæ in fraudem cred.* Hoc perpendentes principes, Rebus fiſco denunciatis ſed nondum delatis quadriennium quoque fatale judicarunt, quo præfecti fiſco res in melius curent *l. 10. ff. de div. temp. præſcript. l. 1. c. de quadrienn. præſcr.* Effecerant ſiquidem, ut fatum hoc jam currens ægrè ſiſtatur, ne deſides in aula alere viderentur qui exemplo ſint; aliàs delatorum bonorum reſpectu & ut verbo utar incorporatorum; fiſci jura 30. vel 40. annorum ſilentio quieſcunt *l. 4. c. de præſcript. 30. Ann.* niſi delata quidem ſint, haud tamen denunciata ubi 20. annorum ſpacio una cum delicto extingvuntur *l. 13. ff. de diverſ. temp. præſcript.* cum non eo modo puniendi ii ſint, qui longo tempore in reatu agunt, quam qui ſententiam excipiunt in recenti. *L. 25 ff. de pœnis.*

VII.

Ob hoc etiam tam in ſimplici quam duplici adulterio delinquentes quinque annorum ſilentio tutos reddiderunt, ſicut tempus à die commiſſi computetur *L. 28. C. de adulter.* Ne ſemper miſeri veſtigia fugæ ſpargere neceſſe habeant. Licet delictum in cognitionem delatoris pervenerit nunquam *Berlich. p. ult. concl. 27. n. 127.* Attamen ſi ita delictum perpetratum foret, ut nullo modo in cognitionem per diligentem inquiſitionem perveniret, Fati terminum quadantenus ſublevandum eſſe autumarem cum Theodorico. *Colleg crim. diſp. X. tit. D.* Idem quinquennium petitioni ſeparationis bonorum fatale reperitur, ſi creditores ſcilicet ex hereditatis confuſione debiti defraudationem metuant, ſeparationem bonorum petunt, quæ, niſi quinquennii Fatum obſuerit, indulgetur *L. 1. §. 13. ff. de ſeparat.* interim ſi intra hoc tempus petita fuerit nudè ſeparatio, etiamſi non impetrata, Fatum nullum nocumento eſt, in

tantum

tantum etenim tempora hæc, ne hereditates in incerto ſint, coarctarunt. *Hillig. D. E. lib. 23. c. 16.*

VII.

Eadem boni & æqvi ratio rerum immobilium curriculum una cum actionibus inter præſentes decem annis circumſcripſit, hos intra ſi deſides Domini fuerint, actiones Fati jure qvieſcunt. Ita Jurisdictioni poſtquam patrimonialis facta decennale Fatum cum territorio limites ponit hodiè. *Bocer. de JCtione c. 8. num. 99.* Si vero à Jurisdictionis uſu prohibetur adverſarius vel communibus ſupra recenſitis remediis Fatum ſiſtitur, declinatur firmiter. Antiqvitus Fatum nullum JCtioni, ſiqvidem patrimonio non accenſebatur, imminebat. JCtio omnis mixtum imperium continet, non ut idem cum JCtione ſit, ſed ſi opus ut imperium tueatur eandem, prout adjectum pactum idem ac contractus ipſe nunqvam cenſetur, differunt enim mixti imperii & Jurisdictionis ſimplicis actus verè, dum ſimplex JCtio in cognoſcendo verſatur ſolum, mixtum imperium in coercendo. *Hahn. ad Weſenb. de JCtione. n. 7. V. JCtionem.* merum contra imperium prout à JCtione ſeparatum circa pœnas irrogandas verſatur *L. 3. ff. de JCtione.* nec noſtris moribus mandabitur propriè, ſi ea tantum qvæ magiſtratus jure competunt h. e. quæ ideo quod magiſtratus quis eſt competunt, mandari merentur; Ac merum imperium principes magiſtratus jure habere, nemo probabit facile, ſed abſentiæ caſu cum effectu mandatum non reſpicit. *L. 1. ff. de off. ejus cui mandata eſt JCt. Ord. crim. Carol. V. §. 2. ibi in* Abweſenheit. nam abſentiæ caſus à regula exceptio eſt. *Backov. ad Treutl. Diſp. 3. volum. 1. th. 6. lit. E.* Simile decennium ſcriptum jus ceſſare facit moribus *arg. c. ult. X. de conſvetud.* de Romano jure verò arbitrio judicis relinqvitur cum expreſſum nihil ſit intra qvod conſvetudo deroget. *L. 1. ff. de jure deliberandi.* licet diuturno tempore introductum cenſeatur, aſt diuturni nomine l. ſi diuturno ff. de pœnis omnia temporum fata enunciantur.

IX.

Ne Fatum & innocentes premat duplo longius tempus quam inter præſentes ad res immobiles præſcribendas propter abſentiam conſtituerunt, putantes ſi rerum ſuarum curam habeant Domini, ab-

ſentes hoc modo facilè evitare poſſe fatum currens, nam ſi Reipublicæ cauſa qvis abeſſet, vel ab hoſtibus captus Fatum currens non noceret, Fatum qvippe nocet nemini niſi negligenti *L. 2. c. de Annal. except.* proinde vicennale Fatum omnibus delictis accuſationis vel inqviſitionis reſpectu currit regulariter *Theodoricus Colleg. crimin. Diſputat. 10. th. 7. lit. d.* qvando verò delicta reiterarentur perpetua efficerentur ſtatim, etiamſi antea tempus hoc à die commisſi de momento in momentum curreret, quo in fato declinatione nullo modo opus, cum ſuo jure qvieſcat.

X.

Civilibus ex delicto actionibus 30. cennale Fatum ſolenne extat *d. 3. c. de præſcript. 30. Annor.* Ac codicis jure actiones ferè omnes perſonales, jure ff. enim nullum Fatum hiſce imminebat *Treutl. volum. 2. diſp. 22. th. 4. lit. K. 30.* 30. annorum ſpacio intereunt *L. 3. c. de præſcript. 30. Ann.* quarum temporum Fata in ſpecie recenſere ſuperſedebo in præſenti, namq; incido in Diſputationem quandam inauguralem D. Joh. Bartholomæi Reuſneri de Fato Wittebergæ habitam, qvi th. 31. qvomodo ſingulis actionibus perſonalibus præſcribatur, explicavit ſatis dilucidè, qvam ob cauſam Lectorem ad diſputationem iſtam, qvoniam in multorum manibus verſatur, remittam, de declinatione enim Fati agendum mihi fuit potius, qvam qvomodo Fatum currat explicem operoſius.

XI.

Et qvidem ex omnibus contractibus l. nominatis ſ. innominatis actionum curriculo Fatum dictum obſtaculo eſt, innominatum contractum cujus datio vel factum ad certum modum non determinantur. ſed in generali nomine perſiſtunt dico. *L. 7. ſ. 2. ff. de pactis.* Sicuti præſcriptis verbis actio catenus competere dicitur, qvatenus prout negotium celebratum ſ. præſcriptum fuerit agitur, qvia uſitata actionum nomina deficiunt. *Hahn. ad Weſenbec. de æſtimator. act. num. 2.* Quærenti qvænam cauſa ſit, qvæ faciat ut ſine nomine pro contractibus innominatis cauſa competat, reſponſum dabo, eſſe actualem dationem vel factum propter quam invicem contrahentes teneantur *L. 5. §. 1. junctâ l. 21. ff. de præſcript. verb.* & hanc cauſam intelligi quoqve

qve *in l. 7. §. 2. & 4. ff. de pactis.* verius æſtimo, quia in d. §. 2. JCtus ſubjicit idem exemplum cauſæ, in d §. 4. pactum nudum non producere actionem demonſtraturus eſt inde, quod nullum factum intercesſerit, ob qvod paciſcentes adſtringantur, lubricum enim lingvæ non omne ab obligationem efficax judicarunt periti. Non potuitcum Pacio vim pariendæ obligationis, à jure tributam, qvod pace dixerim diſſentientium, intellexiſſe, ſiqvidem ipſe dum legem ſancit aut jus facit imperator, cauſæ mentionem facit, dum dicit non poteſt producere actionem qvia cauſa deſtituitur. Imo qvando de Re approbata jure Romano qværo, ipſa approbatio nihil aliud eſt qvam adſiſtentia Legis, jam denegat imperator adſiſtentiam propter cauſam, ſi cauſa eſt adſiſtentia Legis tavtologiam comiſit Imperator, dicens; Lex non adſiſtit huic obligationi, qvia caret adſiſtentia Legis. Hæc igitur velit neceſſe eſt, pactum nudum non producit obligationem qvoniam non ſubfuit negotium aliqvod habile. Cauſa hæc eſt qvidem incæteris contractibus qvoqve, ita tamen ut non attendatur, niſi in innominatis, ac de Romano jure pari paſſu ambulant non esſe & non attendi *L. 8. ff. de O. & A.* In innominatis verò non datur actio niſi negotium aliqvod intercedat. *L. 5. §. 1. & l. 21. de præſcript. verbis.* In emptione & venditione intercedit qvidem negotium, ſed non attenditur, qvamprimùm tamen conſenſerunt contrahentes contractus perfectus eſt & actio datur *L. 1. §. 1. de rer. permutat. l. 2. ff. de O. & A.* Eodem modo Actio realis eſt qvando agitur contra illum, qvi nullo jure nobis obligatus eſt non qvaſi in actione reali nulla ſit obligatio ſed qvod in producenda hac actione attendatur minimè.

XII.

Ut revertar, Evictionem in omni contractu oneroſo præſtandam eſſe in comperto eſt *L. 4. c. de evict.* ut qvidem non locupletem debitorem ſed exceptione peremptoria tutum ſiſtat emptori; At rem alienam vendens emptori per 30. annorum ſpacia qvieto de evictione non tenebitur poſtea. *L. 45. ff. & l. 19. c. de evict.* Magis verò ſi ſua intereſſe autumet emptor, intra 30. annorum ſpacia juſtè denunciabit venditori, & tunc Fatum hoc rumpere valebit *l. 8. c. de evict.* Qvemadmodum ſi lucrativo titulo contractus fuerit celebratus venditor

de eviſtione nunqvam obligatus eſt; Et ſi fortè cedens ceſſionario expreſſè in ceſſione indemnitatem promitteret, debitor verò bonis caderet ante qvam debito potiretur ceſſionarius, alium ſubſtituere debitorem cedens non opus habet, cum peremptoria tutum præſtiterit debitorem, expresſiq; & taciti hoc loco eadem eſt efficacia *Dd. ad l. 3. ff. de R. C. Hahn. ad Weſenbec. de Evict. n. 10.* & cedens ſe re non amplius integra debito abdicavit, niſi ceſſionarius debitori ceſſionem non inſinuaverit, qvo caſu cedens adhuc debitum exigere & debitorem liberare potis eſt *L. 3. c. de Novat.* nec impedit debitorem ceſſionem factam non ignoraſſe, dum accuratiorem certiorationem qvæ ex inſinuatione oritur, juſtinianeum jus reqvirit *L. 4. c. quæ res pignori obligar. Schiverdeck. lib. 3. Tractat. 23. qu. 10. 12. & ſeq.*

XIII.

Singulari modo tricennale Fatum declinatur, qvando haud deſides Domini litis conteſtatione qvæſtionem in judicium deducunt, licet actiones ſententia non finiantur, hoc eſt, cognitionalia acceperint certamina, ſi per 30. annos poſtea ſilentio tradantur, Fato non qvieſcunt, ſed imperatoria indulgentia qvadraginta annorum ſpacio ſunt definitæ, cum negligens penitus, qui movit qvidem controverſiam ſed tacuiſſe oportuit, dici non poſſit. *L. final. c. de 30. Ann. præſcript. l. 1. c. de Annal. except.* Hoc qvadragenale fatum Imperatores Eccleſiis tantùm & civitatibus ſolenne conceſſerunt, qvo hodie exceptis qvatuor caſibus indiſtinctè præſcribitur iisdem *auth. quas act. de S. S. Eccleſ. Novell. 131. c. 6.* verum ſi fato contra ſingulares civitatis perſonas initium fuerit, non adimpletur, ſed per ſe efficaciam ponit & interit *Berlich. p. 2. concluſ. 8. per tot.* ſicuti intra octo luſtra creditor hypothecaria actione contra debitorem vel debitoris nomine poſſidentem agere valet *L. 7. c. de præſcript. 30. Annor.* Sed haud procedit fatum, ſi ab extraneo ſuo nomine posſidente deſideret hypothecam taliter 10. vel 30. annis præſcribitur contra creditorem. *l. 5. princ. c. d. t. Hillig. ad Donell. lib. 5. cap. ult. lit. G.*

XIV.

Reſtat deniqve immemorialis fati declinatio: immemoriale fatum eſt cujus initium ſive b. ſive mala fide fuerit ignoratur, teſtes autem

tem jurati ſe à majoribus aliter factum non accepiſſe, deponant. *L. 28. ff. de Probat. Mynſing centur. 1. obſ. 30.* ita ut interdum, cum certus annorum numerus, qvamvis de jure qvidem adſit, nobis haud definitus habeátur, 70. annis terminari poſſe referant Dd. *Vultej. vol. 3. conſil. marpurg. 30 n. 70.* Eò qvod ſupra hominum memoriam tempus privilegii vim ac Legis habere æſtimetur *L. 3.* §. *4. de Aqu. quotid. l. fin. de Aqu. & aqua pluv. arcend.* in quo hoc fatum â centenario differre autumo, qvod centenarium definito, hoc nullo numero gaudeat. Inprimis tamen uti Regalibus, Pedagiis, qvadagiis, juri venandi &c. ac reſervatis principum ſolenne eſt, in tantum ut ex fato hoc controverſiæ inter illuſtres familias in diras abientes contentiones ad ſeros transmiſſæ poſteros hodienum durent, odium enim & contentio ſemel pronis acceptæ auribus hærent, poſteritate gliſcunt.

CAPUT. IV.

Fatum conventionale qvomodo vitetur.

1. *Pacta in continenti contractibus adjecta quid operentur.*
2. *Pactum conventionale quomodo rumpatur.*
3. *Quomodo Fatum ſolutionem pignoris impediat.*
4. *Filia ſua heres volens abſtinere ſe, conferre non cogitur dotem.*

I.

Conventionum valor Romano juri celebratus eſt ſatis, ut cuivis contractui Legem dicere valeat & coarctare robur *L. 23. de Reg. J.* pacta verò omnia vel in continenti adjiciuntur contractibus vel ex intervallo, ſicqve vel actionem vel exceptionem producunt; ſi in continenti hoc eſt ab initio b. f. contractibus adjiciuntur, ipſum contractum reformanto aliumqve ſpecie contractum ſuperinducunt *arg. L. 72. de contrah. emp.* & actionem ſpecie procreant eandem. Si ex intervallo & re integra, itidem novus efficitur contractus. *L. 7. § 6 ff. de pactis.* Re verò non integra ad exceptionem producit tantum, *Hahn. ad Weſenb. de pact. converſ. cum inſunt.* Si

 con-

contractibus ſtricti juris adjicitur, in continenti, eodem modo efficax habebitur ad agendum L. Lecta ff. de R. C. ubi primus contra ſecundum rectè agit qvia pactum in continenti ſtipulationi adjectum idem valet ac ſtipulatio. *L. 4. §. final. ff. de pactis l. 52. de V. O.* ſin ex intervallo, exceptionem parit verius *D. Tabor. p. Element. ſ. 3. th. 39.* Verum noſtris moribus omne pactum actionem producit indiſtinctè. *L. 41. ff. de pactis.*

II.

Hoc modo fata certa contractibus imponere jus fas habent, eademqve declinandi ponere media, nunqvam namqve rebus ſuis legem dicere prohibentur privati *Arnoldus Vinnius de pact. c. 7. n. 4.* ſatis ſuo defungentes officio, ſi non dolo lædant aut invicem ſe circumveniant iniqvè. *L. 20. § 1. ff. de pact. dotal.* In emptione & venditione traditio ac pretii ſolutio, ſed nullo definito tempore deſiderantur, attamen ſi lege committant contrahentes niſi v. g. intra decem dies ſolvatur pretium, res reputetur inempta, Fatalibus elapſis 10. diebus contractus vitam ponit & perit. *L. 4. princ. ff. de l. commiſſ. l. 1. & 3. c. de pact. inter emptor. Excell. Dom. Præſes in diſp. de Leg. Commiſſ. th. 9. L. final. de præſcript. 30. Ann.* Declinabit autem Fatum hoc emptor ſi caſu detineatur, qvo minus ſtato tempore offerat ſolutionem, mortalibus ſiqvidem infiniti eveniunt caſus, qvos evitare humanitatis non eſt, vel ſi non ſit qvi offerat pretium citra culpam ſuam mulctari non poteſt, *L. 4. § ult. de leg. Commiſſ. l. fin. §. ult. de reſcind. vend.* Sic qvam primum in contractu emptionis conſenſerunt partes, emptor Dominus fit, aſt ſi in diem addicant ut intra 10. dies, ſi pinguior obveniat venditor res inempta ſit, fatali decendio elapſo res venditori una cum omnibus à tempore contractus perceptis fructibus reſtituitur *L. 4. §. 4. ff. de in diem addict.* evitatur tamen fatum ſi ipſe emptor pinguius pretium offerat qvam rem amittere malit, qvia ipſius potior reputatur cauſa qvamvis oblatione pinguioris pretii novum contractum celebrari ſtatuant Dd. *d. l. 72. de contrab. ven.*

III.

Pignoris Dominum non effici creditorem eoqve nec diſponendi facultatem de pignore habere neminem dubitare arbitror *arg. l. 21. c.*

man-

mandati; paciſcantur verò niſi creditum intra duos menſes reſtituatur ex juſto pretio vendendi pignoris ſolutionem repetere debere creditorem, Fatales menſes debitorem re pignorata exuunt Dominiiqve faciunt expertem *l. 4. de pignorat. act. l. final.* § *1. C. de jure impetrandi Dom.* qvod evitabit debitor ſi ipſe pretium offerat vel ſolvat, aut ſi ex probabili ratione termini prorogationem posſit impetrare, Nemini enim qvod fortuito evenit iniqvam inferre debet conditionem. *arg. l. 2. C. de annal. except.*

IV.

Veruntamen qvæ pacta fata inducunt, Legibus non contraria ſint neceſſe eſt, juri nempe contrarium ſemet ipſum efficaciâ privat *l. 5. c. de LL.* veluti ſi in Legem committere velint contrahentes in pignore *l. ult. c de pact. pignor.* vel ſuper re illicita pacta ineant *l. 27. §. 4. ff. de pactis.* nulla declinatione opus erit, unde ſi pater Filiæ centum in dotem daret, in ſecuritatem verò, hoc pacto, niſi intra annum dos ſolveretur res dotis loco ſit, fundum concederet, ex pacto iſto patri non curreret fatum, qvia iniqvum defraudari pactis. *Neguſ. part. princ. 4. n. 8.* Hoc qvidem certum eſt, ſi pater pinguem dotem filiæ concederet cogitans & tantum cæteris ſe daturum, defuncto patre filia ſe abſtinere cupit hereditate, cæteri licet liberi ex integra hereditate legitimâ ſalvâ tantum conſeqvi non posſint, non tantum dotem non conferre compellitur, ſed & promiſſam dotem omni jure exiget. *l. ult. ff. de Collat. dot.* Qvisqve enim qvo juris beneficio ſemet non exuat videat, ne propoſito ratio ſua pesſimè conſtet & lugeat poſt eventa imprudens.

CAPUT. V.

De declinatione Fatorum in prima inſtantia judicialium.

1. *Quomodo Fatum toti proceſſui imminens evitetur.*
2. *Quomodo citationis fatale tam ab actore quam reo declinetur.*
3. *Qua ratione in ſpecie actor emanens declinet Fatum, & quid termini circumductio.*
4. *Remedia adhuc contra latentem actorem.*

5. *Qua*

5. *Quæ ratione reus evitet Fata.*
6. *Quid mandata ſine clauſula, & quomodo evitentur.*
7. *Qualiter in declinatoriis exceptionibus purgetur Fatum.*
8. *Qualiter in peremptoriis.*
9. *Quomodo in Litis conteſtatione.*
10. *Quæ ratione probatoriorum term. eliminetur Fatum.*
11. *Quomodo purgetur juramentis imminens.*
12. *Qualiter Fatum in producendis teſtibus ſiſtatur.*
13. *Judex in ferenda ſententia circumſpectus ſit.*

I.

AD judicialium Fatorum declinationem ut properem methodus expoſcit, qvæ pro diverſo proceſſu obſervantur diverſimode, & qvidem uti Fatum vel integrum afficit proceſſum, ut ſententia elapſo fato, ipſo jure nulla, nec acta primæ inſtantiæ novæ inſtituendæ proſint vel actus ejuſdem certos concernit tantum, ita Fatorum declinatio circa ſimilia verſatur. Proceſſus omnis vel Eccleſiaſticus vel ſecularis eſt, uterqve vel ordinario vel extraordinario modo expeditur, non certè ſecundum prætorii juris ritum, ut vel ipſe prætor, qvi tamen in paucisſimis ob majeſtatem officii ſui in jure, cauſas decidebat, *Godoſ. in diſp. antivult. 3. th. 15.* judicaret, vel cum formula ad pedaneos judices cauſam amandaret. *l. 2. c. de pedan. Judicib.* qvo reſpectu judicia omnia extraordinem fieri reputantur hodie *Gædd. ad l. 34. §. 13. de V. S.* ſed an plena an ſummaria cognitione judex procedat dicuntur. In Eccleſiaſtico proceſſu ipſo Fati declinatio non militat operoſius, plerumqve enim ſummarius eſt, nec formam civilis juris obſervare tenetur judex *Marant. in ſpec. p. 4. diſt. 9. n. 12.* unde qvandoqve ſaltem proceditur ordinarie, fatum verò nullibi niſi paucis in caſibus reperitur deciſum. *c. ſin. X. de jud. Ummius ad proceſſ. diſp. 7. n. 35.* Nec in ſeculari proceſſu moribus noſtris in civilibus, inſtantiæ Fati declinatio defungitur officio, ut verè inde lites immortales fiant & vitæ hominum excedant modum, cum fatum hoc nullo in judicio urgeat litigantes *Parth. litig lib. 1. c. 15. n. 26. Niellius diſp. Feud. 11. th. 2. lit. F.* Codicis jure ut actor triennium intra à lite conteſtata litem peragat vel novam actionem ſuſpiciat, conſtitutum eſt *l. 13. c. de jud.* ff. jure qvidem eodem modo coarctatam fuiſſe inſtantiam veſtigia docent *l. 18. §. 4. ff. de dolo l. 32. ff. de judiciis.* aſt cum reliqvis juribus

& hæc

& hæc fata ſenſere interitum; Si hæc demum noſtris reſtituerentur judiciis, mirum in modum ambigua cauſarum fata accelerarentur iterum. Criminali inſtantiæ ex breviori fatum imminet, quam ob cauſam hoc ſit, variant Dd. ego, ne miſeri accuſati pœnæ rigorem metuant in ſqualore diutius, ſed vel ſententiam excipiant vel abſolutionem experiantur citisſimè, brevius Fatum ſtatutum reor, ita annale olim *l. 7. ff. de muner. & hon.* in biennium, ut eo elapſo accuſator pœnam quandam ſuſcipiat nec accuſatione locus detur ulterius *Ummius ad proceſſ. diſp. 7. n. 26. 29.* mutatum fuit, *l. 3. c. ut intra cert. tempus crim. qu. term.* verum ex officio judici, elapſo licet fato, inquirendum eſt, ne delicta penitus maneant impunita *clar. §. fin. qu. 51. n. 8.* adeoque declinatione hac ratione non opus erit, in civilibus a. fatum non currebat ſi intra fatale concluſum in cauſa fuerit.

II.

Emenſo quomodo Fatum toti proceſſui imminens declinetur, qua ratione actibus ſingulis proceſſus Fatum currens ſiſtatur, exponere eſt. Et qvidem primum ac inevitabile in omni proceſſu citatio eſt, quæ actori pariter & reo fatalis habetur; Attamen ut methodi conceptæ ratio ſit, hoc caput quod actibus primæ inſtantiæ currat, & quænam ejusdem declinatio ſit, abſolvet, ultimum actuum ſecundæ inſtantiæ fata purgabit. Differebant olim in jus vocatio & citatio, in jus vocatio actionis impetrandæ cauſa, citatio ob facti examinationem fiebat *Hahn. ad VVeſenbec. de in jus vocando n. 13.* Hodie ſublata juris & judicii quoad ſolenne prætoris differentia, acceptio utriusq; perinde eſt.

III.

Citationi tempus certum neque moribus neque Ju-

 ſtini-

ſtinianeo jure præfixum eſſe antumo, nam quod *l. 6*[illegible]. *§. 6. ff. l. 13. §. 2. Cod. de judiciis Novell. 112. cap. 3.* decendii faciat mentionem ad citationem in genere non pertinet, cum de emanſione rei poſt peremptorium loqvantur, *Ummius Diſput. 5. n. 12. & Diſp. 7. n. 5.* Ideoque tantum tempus continebit hodiè, quantum ad comparendum reo ſufficere æſtimaverit judex, quod ſi actor ipſe, ad emanatam citationem non comparens, neglexerit, licet prima vice citatus fuerit actor, in expenſas eundem condemnari & terminum circumduci curabit reus. *l. 73. §. 1. & l. 79. ff. de jud.* eſt circumductio hæc citationis emanatæ deletio, *Forſter. de proceſſ. cam. p. 101.* quæ tantum operatur ut quamvis aliàs citatio litis pendentiam inducat. *c. 20. X. de off. delegat.* circumductione facta nunquam lis pendere intelligatur. Si de favore actoris agatur *Berlich. p. 1. deciſ. 1.* quod procedit ſive ex juſta ſive ex injuſta abſuerit cauſa, juſta quidem abſentia à contumacia non verò à circumductione excuſat *Dn. Frid.* von Jena *in not. ad Schot. p. 107. verb. circumd.* aſt non ſentit fatum hoc actor in ſecunda inſtantia nempe Appellationis *Ordin. cam. p. 3. tit. 12. §. ult. Receſſ. Imper. de Anno 1566. §.* Und ſo viel. idemque declinat ſi juſto tempore nuncium non inſinuaſſe citationem poſſit edocere. *Suanm diff. Jur. civil. & cam. 1. c. 19. n. 16.*

IV.

Si reus ſua intereſſe judicet litem finiri, peremptoria citatum actorem & emanentem, nondum conteſtata lite trinis edictis ſingulis 30. dies complectentibus citari curabit, ab hiſce niſi compareat actor, annus fatalis eſt, quo elapſo judex rei probationes æſtimabit eumq; pro cauſæ veritate vel ab inſtantia *Azo. in ſum. c. de jud.* vel ab inſtituta actione abſolvere potis eſt. Differunt enim hæc ab invicem daß er von dem Gerichtszwang oder ab inſtantia zu

abſol-

abſolviren & von angeſtalter Klage loß ſeyn/ ac daß er auff gegentheils Klage ſich einzulaſſen nicht ſchuldig. *Dom. Hahn. ad VVeſenbec. de except. n. IX.* Sed poſt litis conteſtationem ſemeſtri ſpacio à tempore inſtantiæ tantum reliquo, latentem actorem trinis etiam edictis ſingulis ſaltem 10. diebus continentibus citari faciet, qvibus elapſis nec comparente actore, ſi de cauſæ veritate nondum conſtet, ab inſtantia relaxationem petet vel ut actori agendi via præcludatur ulterius, lite perſpecta, definitive abſolutionem impetrabit reus. *arg. l. 13. §. 2. c. de judic.* Hac tamen conditione ut victo in qvantum jurare poſſit impenſæ reſtituantur omnes. *Cujac. lib. 9. obſ. 22. Ord. cam. pag. 2. 43. §. penult.* Quæ fatalia evitabit facilè, ſi, antequam terminus expiret abſentiæ cauſas allegaturus ſe ſiſtat.

V.

Reo itidem ad citationem non comparenti jura ſimiliter fata poſuêre, ut ter poſtquam citatus, actor mittatur ex primo decreto in bona *l. 19. ff. de in jus vocando. l. 7. §. ult. ff. quibus ex cauſis in poſſ.* ita ut bona poſſideat pignoris in modum, donec ad cauſam tuendam ſeſe pars ſiſtat expenſasq; reſtituat *Novell. 53. c. 4. §. 1. l. 9. de bonis Autor. judic. poſſid.* immisſio verò iſta ſi in realibus facta, fato annuo elapſo reum Dominio exuit, quamvis non decretum ſecundum interponatur expreſſe *VVeſenbec. ff. de damn. infecto. n. 5.* in perſonalibus ſi intra terminum ad ſiſtendum arbitrio judicis præfixum non compareat, ex ſecundo decreto vel bona diſtrahi vel adjudicari debere ſtatuunt Dd. VVeſenb. d. l. Ego utroq; caſu addictionem fieri debere verius æſtimo. L.L. enim indiſtinctè adjudicationis faciunt mentionem. *l. 9. c. de bon. auth. jud. poſſ. l. 4. §. 4. ff. de damno infecto.* Quod eodem fermè modo procedit ſi poſt litis conteſtationem reus emaneat contumaciter, ibi tribus e-

 dictis

dictis citatus nec tamen compaaeat, ex contumacia ſua nullum emolumentum ſentit ſed judex ſuper cauſæ cognitione procedit ac pro qua parte cauſæ veritas militat, pronunciat, hoc effectu ut quoad ſententiam latam reus contradicere non habeat *Spec. de contum. §. 3. n. 2. Sichard. ad l. 13. c. de jud.* niſi ex alio capite deferat querelam. Declinabit autem Fata iſta ſi exceptiones competentes juſto tempore opponat prout *explic. Dominus Hahn. ad VVeſenbec. de except. d. n. 9.* Interim opponendo exceptiones, niſi aliter contumaciam, veluti ob morbum ſonticum, excuſet, compareat ipſe, nam ſi incompetentem judicem æſtimet in dubio in honorem judicis ut qua ratione recuſetur edoceat, ſe ſiſtat, etiamſi ipſe, pronunciaverit ſe competentem eſſe *Panorm. ad c. 6. X. de reſcript. Carpz. p. 1. conſtit. 3. def. 11.* Sed tranſeant hæc, de Fati declinatione non exceptionibus ago; Sed quomodo in diverſi [juris] proceſſibus Fatum, de quo in præſenti, currat, adjungere propoſiti ratio ſvadet, *In Eccleſiaſtico vix diverſum eſt Guido. Papa. qu. 85.* In criminali proceſſu, etſi in bona contumacis miſſio non habeat locum, attamen interea accuſati contumacis bona annotantur, à qva annotatione ſive citationis die annum fatalem voluerunt jura, quem intra niſi accuſatus contumaciam purgaturus veniat, competenti inqviſitionis forma ad confiſcationem fit progreſſus *Hippol. de marſil. in pr. crim. §. poſtquam n. 25.* ex quo nemo concludet ex contumacia ſola pro confeſſo cenſeri contumacem, dum ſimul judex quoad fieri poteſt in criminis veritatem inquirit.

VI.

Cum factum aliquod contra omnia jura perpetratum eſt à quodam vel irreparabile damnum ex aliquali cunctatione ſperetur, mandata ſine juſtificatoria clauſulæ emittuntur, qvibus paritio ſuper eo, quod demandatum

eſt

eſt injungitur ſub pœna ſine clauſula de allegandis, num ſe gravatum putet num ne, cauſis & rationibus. *Ordin. cam.p.2. tit. 23.* §. Es wäre dann. Ad quæ, ſi citatus non comparcat, nam cum citatione fiunt, pœna in mandato expreſſa executioni traditur & inſuper ſuper cauſa proceditur. *Gail. lib. 1. obſ. 4. & 13.* Ne verò in injuncta inevitabili paritione læſus videatur citatus, declinari adhuc poſſe ſtatuerunt jura, ne ulli durius quid poſitum eſſe præſumeretur, omni enim mandato ineſt tacitè, num preces veritate nitantur, ipſo jure *c. 2. & 15. X. de reſcriptis* ita ſub & obreptitiè impetratum eſſe mandatum non quidem contra ipſum mandatum, ſed contra impetrantem opponet, principem non ita voluiſſe; ſin probaverit exceptionem, caſſato mandato impetrans condemnatur in expenſas *Zang. de except. p. 3. cap. 17. n. 17.* ſin minus probata fuerit exceptio, pœnæ executio declaratur. Inde non evincitur parum differre inter ſe mandata cum clauſula & ſine clauſula, ac ſi neutri inevitabilis neceſſitas injuncta ſit, nam in mandatis cum clauſula de cauſis contra ipſum præceptum allegandis injuncta eſt, in mandatis ſine clauſula non contra mandatum ipſum, ſed contra declarationem pœnæ in caſu non præſtitæ paritionis faciendam excipiendi & cauſas allegandi eſt. Formulas verò horum mandatorum tam impetrandorum qvam pronunciandorum recenſet *Svanman. Proceſſ. Cameral. lib. 1. cap. 7. num. 7. cap. 8. num. 5. cap. 10. num. 6.*

VII.

Partes comparentes jura ſua deducere conſveverunt, qvæ deductio ob certas rationes fato ſuo quoque circumſcripta eſt. Ac quod reum concernit, exceptionum ipſius plurimæ niſi ante conteſtatam litem proponantur, fato qvieſcunt, ob hoc, quod cauſam afficiant ex parte; pro-

ut qvædam ſunt quæ circa integram verſantur cauſam *l.3.ff.de except.* priores & dilatorias recenſet *Dominus Hahnius ad VVeſenbec.de except. n. 7.* Eæq; ſimul, ſi conſtitutionem proceſſus reſpiciant, ante litiscontestationem probentur *Hill. D.E.ex concliat.l.19.c.de prob.cum l.19.c. de except.lib.22.c.9.lit.Dd.* nam judex de exceptionibus admonet neminem, qvum facti ſint, qvæ juris ſunt emendationis judicis reputantur *l.un. ut quæ deſ. Advoc.part.* Attamen declinatur Fatum ſi pars, ut poſt conteſtationem allegentur,; conſentiat *Guido Papa qu.n.5.275.* vel ſi per facti dubitationem fuerit neglecta *Gl.in l.error.c.de jur. & facti ignor.* vel ſi non prius ad notitiam perveniſſet, nemini enim in jure niſi negligentia vel culpa obeſt. *l. 2. c. de Annal. except.*

VIII.

Exceptiones totam cauſam concernentes poſt conteſtatam litem ad ſententiam definitivam usq; opponuntur firmiter *Ordin.cam.tit.13.§.ult.R.j.Ratisb. de Anno 1594.* §. Setzen demnach. dicuntur vel juris vel facti, juris, peremptoriæ, qvibus actio jure civili competens excluditur, regulariter ſunt, uti doli, metus, &c. Facti ſeu privilegiatæ, qvarum 4. numerantur, Rei judicatæ, tranſactionis, juris & præſcriptionis, tam ante qvam poſt litiscontestationem opponuntur *Rosbach. d.pr. civil. lit. 42. n. 3. & ſeq.* imò & quædam poſt ſententiam opponuntur, quæ paratæ impedimento eſſe ſolent executioni *Bachov. in notis ad VVeſenb. d.l. de except. n. 10.* Interim in proponendis iſtis cautelam ponunt ex *L.9. C. de except.Dd.* ſin videat reus defecturum actorem in probatione, tuto negabit ob l.4. c. de edendo, aſt ſi probaverit actor,nocumento ſibi reus fuit, quod tunc ad exceptiones propter contrarietatem confugere pudeat *auth. contra qui propriam c. de non num. pecun.* ſi

igi-

igitur confidat probaturum eſſe actorem, affirmet ſtatim, exceptionemque ſi quam habeat opponat *l. 12 ff. de probat* ſi dubitet reus neq; affirmet neq; neget, ſed conditionaliter excipiat commodum erit, veluti quæ centum me debere dicis, non puto, ſed ſi probaveris vel ſolvi vel pacto remiſiſti. *l. 9. c. de except.* Cæterum fatum harum exceptionum opponendarum evitabit reus ſi inſtrumenta dolo adverſarii detenta fuerint, vel exceptio ſit quæ ſententiam retro nullam faciat. *d. l. 7. c. de j. & f. ignor. Ummius ad proceſſ. diſp. 12. th. 2. n. 8. Novell. 96. cap. 1.*

IX.

Præparatoria emenſa litisconteſtationem actualem excipiunt. Fatales à porrecto libello duos menſes habet de moderno, ut ita dicam, jure vix annum ſufficere dicunt Dd. *Pruckmann. Conſil. 22. n. 26.* ideoque operoſa declinatione non indigebit, ſed facta litisconteſtatione præparatoriis excluſis & libelli mutatio niſi in ſpeciem emendationis proponatur excluditur. Sed in his recenſendis non longior ero, neceſſaria magis quæ reſtant vellicant manum.

X.

Judicio ſic conſtituto utraqve pars jura ſua edocere tenetur, dilucidè, ut ſecundum qvam ferenda ſententia judici perſpectum penitius ſit, judex enim & ſecundum conſcientiam & ſecundum acta judicet neceſſe eſt, l. 19. de off. præſid. de judice verò tali non ſermo, qvi non ſolus in collegio eſt, quomodo enim quis probata verè æſtimabit qui rem aliter actam eſſe noverit? *l. 14. c. de jud.* quomodo evitabit ne durius quid vel remisſius ſtatuat? *l. 4. de inc.* Ne verò in infinitum partes cauſæ diffidentes probationes differant, certa tempora probationum fatalia voluerunt JCti, dila-

dilationes enim utriqve parti dare neceſſitas poſtulat, Fatum autem iſtud arbitrarium in quantum ſufficere putaverit judex ad probandum, conſtituetur *l. 1. c. de dilationibus*, quo elapſo de civili jure ulteriori probationi tempus præcluſum eſt. *l. 1. c. d. l. Mynſing. centur. 1. obſ. 71.* Quod Fatale evitabitur ſi inevitabile impedimentum probationi obſtaculo fuerit, tunc enim cum cauſæ cognitione & ſecunda & tertia dilatio pro rerum & perſonarum qualitate, conceditur, imo niſi & hæc ſuffecerit, quarta non denegatur *c. 55. X. de teſtibus & atteſt.* v, g, ſi feriæ maximam partem termini, regulariter verò imputantur, abſorbeant *Maranta in ſpecul. p. 6. de dilat. n. 18.* verum jurare debet impetraturus ſe non malitioſè dilationem exegiſſe *Mynſing. cent. 1. obſ. 73.* quod juramentum hoc operatur, ut ſi impetrata quarta dilatione impetrans, antequam probationem obſolverit, moreretur, heres licet non juret denuo, terminum probationum aſſumere poſſit. *Maranta. d. l. n. 19.* Intra terminum verò non ſufficit teſtes produxiſſe & juraſſe ſed & ipſum teſtium examen factum eſſe oportet *d. c. 55. X. de teſtibus.* quod ſi factum non fuerit, probatorius terminus ex juſta cauſa, attenta ſolennitate *d. c. 55. X. de teſtibus.* prorogatur, nec novus præter ultimum hunc conceditur, ne probatoriis terminis in infinitum detur locus. *Gail. l. 1. obſ. 91. n. 2.* Fatale tamen horum ab impetrationis tempore currit regulariter.

XI.

Probationum prima, juramentum, etſi alio reſpectu ſublevatio potius à probatione quam probatio dicatur, occurrit, vulgo triplex voluntarium, judiciale, & neceſſarium ſtatuitur, de voluntario cum extra judicium ſit, hujus tractationis non eſt. Judiciale autem pars parti defert in judicio ad ſententiam usque *Caroc. de juram. litis decis.*

arg.

arg. l. 34. ff. de jurejur. Calumniæ verò juramentum ſecundum L. L. in litis initio agendum. *l. 2. c. de jurejur. propt. calumn. Novell. 49. c. 3.* Ne verò in judiciali juramento dilatio inevitabile Fatum efficiat, ſolent namque metu divini Numinis ad ſuperſtitionem uſque homines averſare ſacramentum *l. 21. c. de f. inſtrument.* quo referri poſſit juramentum effecerunt, & ſic demum fatale eſt, ut manifeſtæ turpitudinis & confeſſionis reputetur nec jurare nec juramentum referre velle. *l. 38. ff. de jurej.* Evitabit tamen & hoc fatale actor ſi in ſe plenam probationem ſuſcipere malit. *arg. c. 2. X. de probat.* Neceſſarium quod concernit, hujus tractationis quidem directò non eſſet, ſed ob materiæ affinitatem ejusdem Fatum quoque ſubjungam, defertur verò tantum à judice ſuppletorium, *arg. l. 31. ff. de jurej.* verum nunquam niſi fermè ſemiplene probatum ad minimum per unum teſtem juratum vel omni exceptione majorem *cap. ult. de purgat. Canic.* nec diſſimile in juramento purgatorio obſervatur atqve juratum ſecundum formulam conceptam fuerit, licet aliàs per ſalutem ſuam juret nec juramentum ei ſpecialiter delatum non juraſſe videtur, ſed ex integro jurandum venit. *l. 33. ff. de jurejurand.* Judex ſecundum eum qui juravit ſententiam dicet. *l. 31. ff. d. tit.* Quod Fatale contra quem delatum evitabit, ſi juramentum delatum fuerit nec ad minimum pro eo, qui jurare debuit, unus teſtis juratus depoſuerit, licet aliàs tantum præſcriptionis militet optimè, judex enim ſecundum Leges judicet neceſſe eſt *l. 19. ff. de off. præſid.* vel ſi nova inſtrumenta fuerint reperta *l. d. 31. ff. de jurej.* reſcindet ſententiam latam.

XII.

Modum quomodo teſtes & quando producendi accuratius explicare prohibeor, ſufficiat nobis teſtes jura-

tos

tos. *l. 8. &. 9. c. de Teſtibus* intra terminum producendos eſſe, niſi actor productionem, reus interrogatoria ſua amittere malit. *Ex jure communi. N.* Gerichts *O. proceſſ. t. 20. in princ.* Eodem Fato quando reprobari debent probationes reprobatorius terminus cenſetur, qui de jure civili eodem modo reputatur arbitrarius *l. 1. ff. de Feriis.* qualis etiam terminus publicationis atteſtationum ſtatui ſolet, quamvis hoc ad judicem pertinat potius, & ſi is negligens fuerit quoad ea ad intereſſe tenetur partibus. *arg 21. c. de judiciis.*

XIII.

Probationibus abſolutis legitimè ad ſententiam ferendam properat judex *l. 14. c. de jud.* ubi ſeriò agit ne Deo præſente judicium ferat iniquum, Quæ lata niſi circumſpecta pars fuerit in rem abit judicatam, cui Fato multi declinandi modi ſunt oppoſiti, de quibus ultimo capite acturus ſum fuſius, plura in hocce ſubjungere concepta propoſiti ratio impediebat.

CAPUT VI.

Quomodo Fatum in ſecunda inſtantia currens evitetur.

1. *Quid conſultationes & relationes quomodoq; differant.*
2. *Quomodo Fatum interponendæ appellationis rumpatur.*
3. *Fatum apoſtolis petendis noxium quomodo declinetur.*
4. *Fatum introducendæ Appellationis vitandum.*
5. *Qualia introducendæ Appellationi immineant.*
6. *Fatum Supplicationi currens declinandum.*
7. *Quidnam ſit iſtud.*
8. *Quænam Fata executioni currant & qua ratione evitentur.*

I. Si

I.

SI pars ſe ſententia gravatam putet, ſublevare poterit executionem, Et de civili jure etiam declarationis remedium reſtat *l. 4. §. 1. ff. de appellat.* quod Saxonicis moribus obſervatur in viridi & eidem eadem quæ appellationi conceſſa ſunt Fatalia. Eodem modo de Romano foro judici de jure incerto conſultationes & relationes licitæ erant, quibus judex omni poteſtate judicandi ſe privabat ut ſententia reſcripta, principis vicem ſuſtineat *l. 1. c. de Relat. l. 13. c. de Appellat.* â conſultatione verò quoniam nomine ſuo eam pronunciabat judex, appellatio non erat prohibita *l. 2. c. de Appellat.* Sed hoc appellationis beneficium ſuſtulit hodiè. Novell. 115. §. 1.

II.

Adeoque unicuique niſi prohibitum appellare licet *l. 30. de Appellat.* â quaque ſe ſententia læſum æſtimet, ſive definitiva *auth. novo jure C. de Relat.* ſive interlocutoria ſit, definitivæ vim de jure civili habens & cameræ O. Cam. p. 2. tit. 29. §. und ſo von bey urtheilen. Canones autem â quavis interlocutoria, quo jure & nos utimur appellationem conceſſere *c. 12. c. 47. X. de Appell.* hoc mutatum concilio Tridentino ſecundum formam juris civilis, Corvino notante ad jus Canonicum de Appellationibus. Ita tamen ut cauſas appellandi ſpeciales exprimat appellaturus de communi foro. *Socin. reg. 16. Godofred. ad l. 4. §. 1. ff. de Appell.* Hiſce Appellationibus & interponendis & introducendis, & juſtificandis certa temporum fata poſuerunt. Interponuntur verò vel in continenti vel ex intervallo, ſin in continenti h. e. judice ad alios actus non divertente, viva voce dicere ſufficit appello, ut actis inſeratur. *l. 2. ff. de Appella.* Sin ex intervallo, ac ſi â definitiva, ſufficit coram notario & teſtibus appellare, appellationisque inſtrumen-

tum una cum ſupplicatione exhibere ſolent *Suanman. proceſſ. cam. lib. 2. c. 1. n. 19.* ſi ab interlocutoria modo ſupra dicto inſcriptis appellatio fiat neceſſe eſt. *Specul. lib. 2. p. 3. de Appell.* §. *6. n. 1.* nec etſi appellans ad acta cauſas retulerit valebit, verum evitabit ſi aliquid, ad quod ſe referat, exprimat, de reliquo ad acta ſe referat *Berlich. p. 1. concluſ. 50. n. 103.* modo noſtris in terris intra decendium *auth. hodie c. de Appell. Novell. 23. c. 1.* quod nunquam prorogatur *c. 8. de Appell. in ſexto.* niſi appellans ſe neſciviſſe latam ſententiam *l. 1.* §. *ult. ff. quando Appellat.* vel non potuiſſe appellare edocere poſſit. *c. 2. qu. 6. arg. l. 55. de ædilit. edict.*

III.

Verum hoc licet facto niſi intra 30. dies qui appellavit apoſtolos, qvibus judicem de negotio inſtruat, petat, idem eſt ac ſi appellatio interpoſita nunquam fuiſſet *l. 24. c. de Appellat.* Sed currit Fatum à ſcientiæ latæ ſententiæ die, cui decendium imputatur, ſi verò appellare non valuit, nec Fatum nocumento eſſe poterit, *Marant. p. 6. de Appellat. num. 220.* Qvemadmodum in Cameræ obſervatis planè non habetur *Petrus Frid. Mindan. de proceſſ. in Cam. extrah. lib. 1. cap. 7. num. 8.* Noſtris moribus triplices ferè ſunt Apoſtoli, vel reverentiales qvibus certior judex fiat appellationi cum dubitaretur, delatum eſſe *c. 1. de Appellat. in ſext.* vel refutatorii qvibus appellationi ceu frivolæ delatum non eſſe ſignificatur *l. 6. ff. de Appell. recip.* vel Teſtimoniales qvibus à notario appellationem factam eſſe teſtimonium perhibetur *c. fin. X. de Appell.* qvibus judex inferior pro re nata ad ſuperiorem informandum utetur, ſed ſi ad petitionem denegaverit apoſtolos, ipſe ſuam ſententiam retractaſſe præſumitur, partiq; læſæ ex propriis reſarcire tenetur damnum. *Nov. 126. c. 3.*

IV.

IV.

Impetratis Apoſtolis appellans ſe ſuperiori judici ſiſtit, coram hoc appellationem introducat & inhibitionem ad judicem à quo impetret, quod ſi neglexerit non auditur, ſed expiraſſe intelligitur appellatio *Græven. lib. 1. concluſ. 40.* evitabit hoc ſi probaverit inevitabile obſtaculum, quo minus inhibitionem petierit, obſtitiſſe. *Gail. lib. 1. Obſ. 129. n. 7.* Interim etiam hæc introductio Fato circumſcripta eſt, de Romano jure termino arbitratrio à judice aſſignando de conſvetudinario verò plerumque 6. menſibus. Intra quæ tempora citationem à judice ad quem impetratam parti adverſæ inſinuet atque in judicio reproducet. *Mynſing. centur. 5. obſ. 57.*

V.

Sic intra ſex hoſce menſes in inferioribus judiciis fiet citatio *Gail. lib. 1. Obſ. 140. n. 4.* quod ſi utraque pars emanſerit terminus prorogatus cenſetur, actor emanens appellationem deſertam facit; in Reo quod in actis ſe fundaverit jam, rigor iſte Fatorum ceſſat *l. 4. c. de temp. Appell.* acta tamen ante dimidium integræ Appellationis juſtificandæ fatalis lapſum offerantur *l. 3. c. d. t. l. 2. C. de edendo.* Eſt autem Fatum iſtud de novo jure annale regulariter *l. 5. §. 4. c. de temp. Appell.* à die interpoſitæ appellationis, non de momento in momentum, quoniam tunc appellationis dies non numeratur *Gail. lib. 1. obſ. 1. d. n. 1.* Sed ſi juſta cauſa emerſerit ad biennium Fatum hoc extendunt jura. *d. l. 5. §. 4. c.* Veruntamen Fatum hoc non currit ſi caſu factum impedimentum obſtaculo fuerit, nam quæ quemque manent prævidere quam vitare facilius eſt, vel ſi paupertas, (quæ æſtimetur tradit *Mynſing. centur. 5. Obſ. 57.*) impediat appellandi facultatem *arg. l. 76. ff. de procurat.* vel ſi Fatale hoc partium conſenſu fuerit prorogatum

Novell.

Novell. 93. c. 1. auth. ſi tamen c. de tempor. appellat. quæ ratio facit ut multos in annos ſæpe appellationum proceſſus decurrant; Concluditur tandem ita ſi ordo rite obſervatus fuerit antea: Dannenhero Appellant bittet in Rechten zu erkennnen/daß die Appellation zu ihren formalibus richtig in materialibus aber auch ſo viel zu befinden/ das in priori inſtantia übel geſprochen und recht appelliret/ dahero der ertheilte Abſchied alſo zu erklären.

VI.

Si autem ſit à quo appellari non poſſit, ne juris permiſſu facultatibus immeritus cadat qviſpiam, ſuplicationis remedium introductum eſt. *l. 5. de precib. imper. of. fer.* attamen duplicis generis cauſæ ſunt, à qvibus appellari prohibemur, vel enim jus commune ab appellationis beneficiis removet & ſic nullum aliud beneficium ſuberit. *Emeric. à Rosbach. in proceſſ. civil. tit. 76. n. 11.* Si ex ſpeciali ratione appellationis remedium, ob excellentiam forte judicis &c. denegatum fuerit, per modum reviſionis aut ex alia cauſa ſupplicatio licita eſt, cum excellentia judicis qverelam de iniqvitate reſpuat, igitur vel negligentia propria vel adverſarii dolus prætendendus venit. *Marant. in ſpecul. p. 6. de appellat. n. 22.* Sed ab hac reviſionis modus differt, nam reviſione pendente executio ſuſpenditur, per ſupplicationem non item. *Receſſ. deputat. de Anno 1600. §.* Als auch Streit vorgefallen ꝛc.

VII.

Fato etiam hanc ſupplicationem terminari utilitas fecit, ut intra decem dies ſupplicatio hoc effectu fiat, quo interea ſententia executioni mandari non poſſit, niſi ſatisdationem de reſtituenda re cum omnibus fructibus dederit in eventum *auth. quæ ſupplic. C. de precib. imp. off.* verum

rum & decendium ne fatale nimis, ſit per biennium ſoli Imperatori ſupplicari poſſe permiſerunt, haud effectu eò ne ſententia executioni mandetur. *Bender. de Reviſ. concluſ. 2. n: 2. & 3.* Cæterum quoad ſententiam ſi penitus contra jura diceretur nulla, 30. annos ſolennes voluerunt, putantes temporis abunde eſſe, quod intra de injuria quæri posſit quisq;. *Rosbach. proceſſ. civili tit. 76. n. 9. Gail. lib. 1. obſ. 127. per tot.*

VII.

Contra latam ſententiam ſi nullum dictorum remediorum ſuperfuit, executioni, ſi prius debitori ſolutionis terminus præfixus, traditur *l. un. ff. ſi quis jus dicenti non obtemp.* quem imperator in perſonalibus 4. menſibus fatalem voluit *l. 2. & ult. C. de uſur. rei jud.* camera autem ſeptimanas 6. & 3. elegit dies *Gail. lib. 1. obſ. 113. n. 1.* aſt in realibus qvoniam facilior reſtitutio in continenti, modo modicum ſpatium debitori quo ſolvere commodè posſit concedatur *Hilliger. D. E. lib. 17. c. 4. lit. C. l. 105. ff. de ſolut.* Quæ Fata omnia partium placita ceſſare faciunt *arg. l. 2. l. 31. de Re jud.* contra reum nondum ſolventem immisſionis jus ut posſideat, vel ſubhaſtationem, petit actor *M. Col. de P. E. p. 3. c. 9.* ac ſecundum *l. ult. §. 2. & 3. C. de I. D. I.* ſibi rem adjudicari petet vel Fatali biennio elapſo ipſo jure dominii in vim Rem posſidebit tuto. *Dd. ad d. l.* adeò vigilantibus favere voluerunt jura, cum nihil publicæ Rei perniciosſius quam ſi cives facultatum fiant incurioſi.

FINIS.

RHETI,

RHETI, noſtratis nunc gloria magna Lycei,
Ac quondam patrii certa futura ſoli,
Ob varias dotes clari Patris inclyta proles,
Queis fauſtâ morbos pellere novit ope,
Hoc etiam felix, Tibi quod ſit avunculus idem,
Quem ceu tutorem MARCHIA tota colit,
TORNOVIUM dico, magnum illud ſidere fauſto
His lumen terris, præſidiumq; datum,
Ad ſummum veræ virtutis tramite recto
Tendere te culmen, non ſine laude reor.
Haud etenim ſatis eſſe putas, ex ſangvine claro
Majorum Tibi, quod Fata dedêre decus.
Ut proprio potius mentis ſplendore coruſces
Artibus exculta, nocte dieq; ſtudes.
Nec te deſtitui cernis ſucceſſibus, ampla
Cum juveni tot jam Muſa brabeia ferat,
Quis dubitet majora favens promittere Fatum,
Ut paſſim ſummus te comitetur honor!

Ita Nobiliſſ. & Clariſſimo Domino CANDIDATO publicos Licentiam in utroq; Jure honores adepturo ex animo gratulatur

GEORG. CUNR. BERGIUS D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE